

# SCRIPTA

---

**Numéro Scripta :** 1799

**Auteur(s) :** Lucius II [pape]

**Bénéficiaire(s) :** Gilbert, Saint-Germain-la-Blanche-Herbe, Notre-Dame d'Ardenne (abbé)

**Genre d'acte :** bulle

**Authenticité :** non suspect

**Datation :** 1144, 29 avril

**Lieu d'émission :** Latran

**Action juridique :** confirmation

**Langue du texte :** latin

## Analyse

Le pape Lucius [II] confirme et prend sous sa protection les biens de l'abbaye Notre-Dame d'Ardenne.

## Tableau de la tradition

### Éditions principales

a. Piolin Paul, Sainte-marthe Denis de, *Gallia Christiana in provincias ecclesiasticas distributa*, t. XI, Paris, Palmé, 1874, Instrumenta ecclesiae Bajocensis, n° X, col. 79-80.

Texte établi d'après a

Lucius episcopus, servus servorum Dei. Dilectis filiis Gilleberto priori ecclesiae sanctae Mariae de Ardena ejusque fratribus, tam praesentibus quam futuris, regularem vitam professis, in perpetuam memoriam. Ad hoc universalis ecclesiae cura nobis a provisorio omnium bonorum Domino commissa est, ut religiosas diligamus personas, et bene placentem Deo religionem studeamus modis omnibus propagare : nec enim Deo gratus aliquando famulatus impenditur nisi ex caritatis radice procedens a puritate religionis fuerit conservatus. Eapropter, dilecti in Domino filii, vestris justis postulationibus clementer annuimus, et praefatam ecclesiam in qua divino mancipati estis obsequio, sub beati Petri et nostra protectione suscipimus, et praesentis scripti privilegio communimus, statuentes ut quascunque possessiones, quaecunque bona eadem ecclesia inpraesentiarum juste et canonice possidet, aut in futurum concessione pontificum, largitione regum vel principum, oblatione fidelium, seu aliis justis modis, Domino propitio, poterit adipisci, firma vobis vestrisque successoribus et illibata permaneant, in quibus haec propriis duximus exprimenda nominibus ; ecclesiam sancti Germani de Albaherba ; totam decimam de proprio dominio Celandi in Hermanvilla ; unam acram terrae de Bitot ; duas acras terrae et tres virgultas in Varena lunga ; unum campum terrae ad Burum, de feodo Aiulphi ; duas acras terrae inter Cadomum et Ardenam, de feodo Gaufridi de Castello ; duos campos terrae super sanctum Germanum, de feodo Henrici filii Herberti, novem acras terrae in Ardeno ; quinque virgultas terrae inter sanctum Germanum et domum Infirmorum, et quinque virgultas ex altera parte viae ; totam decimam de dominio Adam de Franca-villa ; unam praebendam Bajocis, et decem denarios de elemosyna regis ; aliam Cadomo de septem denariis ; unam domum Cadomo liberam et quietam de omnibus consuetudinibus in foro ; aliam domum in burgo abbatis Cadomi in novo rure ; tres acras terrae a la parella ; et quidquid habebat Hasculphus in Lucerna de proprio dominio, excepta parte nemoris de curva fossa ; et duos arpennos vinearum apud Suligneum ; et totam decimam de Gripon, tam in molendinis quam in aquis, et in omnibus redditibus villae, unam piscariam apud Boleium ; totam terram Gilleberti filii Adam, de proprio dominio in Lucerna ; unam acram terrae in Cavum, de feodo Radulfi filii Ranulfi ; duos modios segetis, quorum unum dedit Willelmus filius Rogerii, alium Richardus Calus. Sancimus etiam ut ordo canonicus secundum beati Augustini regulam et

institutionem Præmonstratensium fratrum perpetuis ibi temporibus inviolabiliter conservetur. Decernimus ergo ut nulli omnino hominum liceat præfatam ecclesiam temere perturbare, aut ejus possessiones auferre, vel ablatis retinere, aut aliquibus vexationibus fatigare, sed eis omnia integra conserventur, eorum pro quorum gubernatione et sustentatione concessa sunt, usibus commodis profutura, salva diocesani episc. canonica justitia, et apostolicæ sedis auctoritate. Si qua igitur in futurum ecclesiastica secularisve persona hanc nostræ constitutionis paginam sciens contra eam temere venire tentaverit, secundo tertiove commonita si non satisfactione congrua emendaverit, potestatis honorisque sui dignitate careat, reumque se divino judicio existere ex perpetrata iniquitate cognoscat, et sacratissimo corpore et sanguine Dei et Domini redemptoris nostri Jesu Christi alienus fiat, atque in extremo examine districtæ ultioni subjaceat. Cunctis autem eidem loco justa servantibus, sit pax Domini nostri Jesu Christi, quatenus et hic fructus bonæ actionis percipiant, et apud districtum judicem præmia æternæ pacis invenient, amen. Ego Lucius catholicæ ecclesiæ episcopus. Ego Conradus Sabinensis episcopus. Ego Albericus Hostiensis episcopus. Ego Hismarus Tusculanus episcopus. Ego Gregorius presbyter cardinalis tituli Calisti. Ego Thomas presbyter cardinalis tituli Vestinæ. Ego Gilbertus presbyter cardinalis tituli sancti Marci. Ego Guido presbyter cardinalis tituli sanctorum Laurentii et Damasi. Ego Gregorius cardinalis diaconus SS. Sergii et Bacchi. Ego Guido diaconus cardinalis sanctorum Cosmæ et Damiani. Ego Gerardus diaconus sanctæ Mariæ in Dominica. Ego Gregorius diaconus cardinalis sancti Angeli. Datum Laterani per manum Baronis capellani et scriptoris, tertio idus Maii, indictione septima, Incarnationis Dominicæ anno millesimo centesimo quadragésimo quarto, pontificatus vero domini Lucii secundi papæ, anno primo.